

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Terentivs,|| A` M. Antonio Mvreto|| locis prope
innumerabilibus|| emendatus.||**

Terentius Afer, Publius

Venetiis, 1558 [erschienen] 1559

Scena III.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-723936](#)

E V N V C H V S

In cognoscendo tute ipse aderis chærea.

Ch. Ego uero maneo. Th. uis ne interea, dum is uenit,

Domi opperiamur potius, quam hic ante ostium?

Ch. Immo percupo. P. quam tu rem actura obsecro es?

Th. Nam quid ita? P. rogitas? hunc tu in ædis cogitas

Recipere posthac? Th. cur non? P. crede hoc meæ fidei

Dabit hic aliquam pugnam denuo. Th. au, tace obsecro.

Py. Parum perspexisse eius uidere audaciam.

Ch. non faciam Pythia. P. non pol, credo chærea,

Nisi si commissum non erit. C. quin Pythias

Tu me seruato. P. neque pol seruandum tibi

Quicquam dare ausim, neque te seruare. apagete.

Th. Optime. adest ipse frater. C. perij hercle: obsecro

Abeamus intro Thais: nolo, me in uia

Cum hac ueste uideat. Th. quamobrem tamdem? an qui
pudet?

Ch. Id ipsum. P. id ipsum? uirgo uero. T. i præ, sequar.

Tu istic mane, ut chremem introducas Pythias.

A C T U S Q V I N T I S C E N A III.

P Y T H I A S , C H R E M E S , S O P H R O N A .

Py. Vid? quid euenire in mentē nunc possit mihi

q Quidnā, qui referam illi sacrilego gratiam,

Qui hunc supposuit nobis? C. moue uero &
cyus

Te nutrix. S. moueo. C. uideo, sed nil promoues.

Py. Iam ne ostendisti signa nutrici? C. omnia.

Py. Amabo, quid ait? cognoscit ne? C. ac memoriter.

P.Y. Bent



Py. Bene æpol narras : nam illi faueo uirgini.

Ite intro : iam dudum hera uos expectat domi.

virum bonum eccum Parmenonem incedere

video : uide , ut ociosus sit , si dijs placet .

Spero me habere , qui hunc meo excruciem modo .

Ibo intro , de cognitione ut certum sciam :

Post exibo , atque hunc perterrebo sacrilegum .

ACTVS QVINTI SCENA IIII.

PARMENO, PYTHIAS.

Pa. Euise , quidnam chærea hic rerum gerat.

r quod si astu rem tractauit , dij uostri fidem ,

Quantam , & quam ueram laudem capiet

Parmeno ?

Nam ut omittam , quod ei amorem difficillimum , &

Carissimum ab meretrice auara : uirginem

Quam amabat , eam confeci sine molestia ,

Sine sumptu , sive dispensio . tum hoc alterum ,

Id uero est , quod ego mihi puto palmarium ,

Me repperisse , quo modo adolescentulus

Meretricum ingenia & mores posset noscere ;

Mature ut cum cognorit , perpetuo oderit .

Quæ dum foris sunt , nihil uidetur mundius ,

Nec magis compositum quicquam , nec magis elegans :

Quæ , cum amatore suo cum cenant , ligurriunt .

Harum uidere ingluuiem , sordes , inopiam ,

Quam in honestæ solæ sint domi , atque audiæ cibi ,

Quo pacto ex iure hesterno panem atrum uorent .

G Noſſe

